

*oppositi.* Præcipua ergo, quæ nostræ opponuntur sententiæ, quod non omnia possint explicari de solo Messia, hæc sunt: (a) De cujus templi ædificatione agitur in Davidis proposito, de ejusdem ædificatione quoque agitur in Dei responso, propter immediatam connexionem. mutuamque inter quæsitum & responsum relationem. At de templi Hierosolymitani ædificatione agitur in Davidis proposito, quod constat ex cap. 7. 2. Sam: v. 2. Ego &c. Respondemus: Concedenda quidem est consequentia Majoris, ast non in totum, sed in tantum & ex parte. Nam utique & Deus respondit ad propositum Davidis, de templi materialis exstructione, nimirum remotive; *Numquid ædificabis mihi domum?* attulitque rationes negativæ responsionis: tum quod non habitaverit in domo inde a deductione Israëlitarum ex Ægypto, tum, quod nunquam hoc postularit &c. Positive vero & thetice deinde existât occasione majora Deus promittit, invertendo propositum Davidis: *Non tu quidem mihi, sed ego tibi ædificabo domum, scilicet excitando domui tuæ æternum Semen,* quod sit promissæ domus stabilimentum, & regni tuæ domus æternus conservator. De his plura vid. §. II. Objiciunt (β) promissum istiusmodi Regis, qui peccare potest, qui que castigatur ob peccata virgis hominum. Quod argumentum quam maxime Interpretes vel optimos movisse videtur, ut sensum de Salomone tenerent, eumque Christo permiscerent, quia dubium videbatur, quomodo Filio DEI posset tribui, perverle ipsum agere. Verum salva veritate & pietate, quomodo hæc omnia dextre exposita quam optime Messia, non verò Salomoni competant vid. §. IV. anteced. ubi hæc ce salvis aliorum quoque responsionibus sunt explicata. Objiciunt denique (γ) Explicationem Davidis de Salomone. David, ajunt, sensum verborum Domini utpote Propheta Act. II. 30. omnium optimè intellexit, qui hæc ce omnia ad Salomonem refert I. Chron. XXII. 9. c. XXVIII. 2. Ipse quoque, ajunt, Salomon sibi hæc